Vincentii ma
nerij de terra noua monachi cartusi
ensis caprearum domus professi ad
reuerendissimum patrem .do.
Joannem gallardi cartusi
ensium primarium ⁊
monarcham di
gnissimum
de morte christi libri tres.



Agne poli rector, qui mundum ſanguine purgas,
Ingrato famulo crimina tolle tuo.
Erro etenim cernis, greſſus nec reddere rectos
Heu poſſum: ut ſubeam regna beata tua.
Tendit in incertum uia, qua me pergere noſti,
Dirige tu greſſus Agne benigne meos,
Ne miſer ingrediar ditis penetralia læſo
Te, quo ſublato nil niſi pœna manet.
Rumpe moras igitur, cælũq; aſcendere coge
Me maculis merſum munere non merito.
Amen.

Author ad lectorem.

NVlla mens terræ penetrare girum
Eſt potis magnæ, & reſerare dotes,
Nec maris tractus remeare cymba;
Aetraue pennis.

Si polos aũt ſuperare ſummos
Audeas forſan fragili uolatu.
Icari caſus patiere lapſus
Aethere ab alto.

Ergo ſi uires hominum caducæ
Orbis immenſi nequeunt profunda
Prendere, auctorem dñm deũq;
Quis queat ipſum?

Qui cupit ueris igitur tonantem
Congrue donis placidiſq; mitem
Reddere; ſacro ſtudeat cremare
Pinguia laudum.

Strenue laudes pariter, tonanti
Corde ſummiſſo cumulemus ergo
Debitas, qñ ſuperat ſupremus
Cantica quæq;.

De morte christi.

Nullus arctetur dño canentum,
Legis angustæ stimulo subactus,
Corde sed puro modulando quæq;
Carmina promat.
Maximus textos numeris propheta
Concinit psalmos dño polorum,
Concinit carmen docuitq; natos
Psallere moses.
Virginis partum cecinit poeta
Actius nostris ēt diebus
Carmine & cunas decorauit alto
Parthenopæus.
Concinat clauos alius tonantis,
Et crucis mortem pariter reuoluat,
Alter & uitam uario recurrat
Carmine totam.
Auribus tandem patulis fauet.
Qui redemptoris cupitis dolore,
Mortis, ad mentem reuocare quand
Incipit author.

Vincentij manerij de terra noua monachi Cartu/sienſis caprearum domus profeſſi ad Reuerendiſſi/mum patrem .do. Ioannem gailardi cartuſienſium primarium & monarcham digniſſimum de morte Chriſti liber primus.

MOrtem ſputa, crucē, clauos, tormēta, dolores
Principis ætherei toleratos crimine noſtro,
Iudæis trucibus carnis ſub tegmine pando.
Hoc opere haud ullum numen depoſco mineruæ,
Non ueterem phœbi auram pieridūq; fauorem,
Sed cælos, cæliq; ſupremi numina prima.
Spūs ergo mihi cæleſti munere ſancte
Adſis: æterniq; aperi tormenta tonantis.
Non iniuſſus .n. (noſti) tranare phaſelo
Hoc mare contendo, & nubes ſuperare uolatu.
Sumpſerat omnipotens uerbum de uirgine carnem,
Sparſerat & ueræ mundo documenta ſalutis,
Curarat claudos, cæcos, mutoſq; ſilentes,
Affectoſq; fame paucis ſaturauerat eſcis
Innumeros: iuſſuq; ſuo reuocarat ab orco,

De morte christi.

Extinctos multos; perfecerat omnia tandem,
Gens iudæa quibus potuisset noscere aperte
Aduenisse sibi promissum lege prophetam,
Vnde pie admissum debebant sistere templo.
Diuinosq; simul læti disponere honores.
Fecissentq; utinam; nā semper quippe potentes
Regnassent rerum domini sub sole; recepti
Et tandem supra cælorum regna fuissent.
Nam qui nomen aquis sumpsit, successor & eius
Agmine si potuit dux deuastare tot urbes;
Et deuicta suæ tot genti tradere regna,
Quid potuisse putas cæli, terræq, parentem
Messiam propria uerum de gente receptum?
Sed mala mens regniq; fame & liuore repleta
Compulit, ut mortem crudelem inferre studerent
Illi; a quo ueram debebant quærere uitam.
Saluator uero cupiens abstergere mundum
A noxa: primi quam contraxere parentes,
Atq; adytum cæli cunctis aperire negatum;
Discipulos dictis bis compellauit amicis.

O sotij delecta manus de gente superba,
Perdita tota quibus piscanda est machina mundi
Rete meo uerum tingendo sanguine primum.
Scandimus en Solymam, capietur natus in illa
Virginis, illusus flagris sputisq; sepultus.
Occidet in ligno transfictus pectora ferro,
Post triduum uero deuicta morte resurget.
His dictis, subiens magna cum turba olearum
Montem, discipulis dedit hęc precepta duobus.
Montis in aduersi pueri conscendite castrum,
Inuentũq; rudens animal de more ligatum
Cum pullo indomito citius ductate solutum.
Si uero quisquam muris prohibebit ab altis.
Sunt opus hæc domino cælo terrisq; potenti
Dicite, tunc missi studiose iussa facessunt,
Perficiuntq; sui celeres mandata magistri.
Adductos igitur tunicis strauere beatis.
Iumentisq; pius dominus portatur ad urbem.
Turba sequens aũt diuino afflata furore
Zaccariæ cernens compleri dicta prophetæ.

De morte christi.

Arboribus cæsis manibus de monte uirenti
Altius acclamans sequitur benedictus, o sanna.
Nomine qui dñi regali sanguine cretus
Venisti optato populum saluare subactum.
Gentibus & tandem regni laturus honorem.
Vocibus his omnis subito commota tumultu
Vrbs uenit ad portam, quam uersus uectus asello
Scandebat christus: cernensq; salubria gesta
Exhilarata suis sese spoliabat amiclis.
Atq; uias oẽs sternebant ordine longo,
Pars uiridi palma, & folijs felicis oliuæ
Tempora præcingens benedictus o sanna cãbant.
Ad templumq; simul læti comitantur eũtem.
Sicut uere nouo maturo examine luce
Lecta apibus, cellis emittunt murmura primo
Deinde noui fætus uolitansq; colonia circũ
Agglomerata ducem magno cum murmure semper
Insequitur, donec sedem delegerit ille.
Dimissis igitur turbis, temploq; receptus
Inuenit multis illud sordere profanis

Commotusq; poli zelo, templiq; paterni,
Proijcit ex illo subito uenalia cuncta,
Vendentesq; simul, pulsis ac talia fatur.
Factus ad orandum locus hic non lucra trahenda.
At uobis cupidis spelunca est facta latronum.
Multaq; confecit solo miracula iussu,
Inter quæ tumulo uiuum reuocauit ab atro
Germanum mariæ putridum marthiæq; sororis.
His synagoga tui proceres uirtutibus acti
Heu coniurarunt uitæ iugulare datorem,
Ad quod discipulum pretio traxistis & auro.
Paschatis alma dies aderat, qua candidus agnus
Morte refert, populum campos transisse liquẽtes
Persiccis pedibus summersisq; hostibus alto
Gurgite, & ereptis patribus pharaonis ab ira.
Talia tunc fratres pariter dixere magistro.
Quo nos ire iubes uenturũ pascha parare.
Rebus .n. cunctis, laribusq; caremus & ipsis.
Dilecto iuueni petroq; hæc protulit ille.
Vrbem introgressi quendam inuenietis aquantem.

Is uobis dominum pandet; qui cuncta ministrans
Praestabit laetus caenacula magna syone.
Protinus optatum nobis ibi pascha parate.
Nec mora discipuli peragunt mandata, magister
Omnibus inuentis uerax quae dixerat illis.
Hospes namq; uidens fieri tanti hospitis hostes,
Cui nomen simon proauis atauisq; repertum.
Quicquid et ipse sibi propria quaesiuerat arte,
Impiger antiquis manibus deprompsit ab arcis.
Assignatq; domo passim spargenda ministris.
Quotq; illi famuli astabant, totidemq; ministrae.
Assare hae curant uiuis carbonibus agnum.
Atq; penum struere, et fermentum tollere tectis.
Nec non et lymphas calidas, peluesq; capaces.
Post caenam et quicquid pedibus sunt apta lauandis
Expediunt; hi uero myrto, et uirgine lauro
Limina conuoluunt longa uiridiq; corona.
Atria deinde tegunt textura nobile pictis
Aulaeis: uideas pulchra ostentare tapeta
Arboreis ramis bissenos murice reges.

Effulgere suis sceptrisq; ostroq; superbo.
Ordine deductos sublimi stēmate iesse.
Qualiter & saulum dauid fugiebat in altis
Montibus, addictosq; cibos carpebat olympo.
Multaq; de christo quæ olim cecinere prophetæ.
O abrahe simon compar: felixq; propago
Hospitio: & maior forsan, namq; ille triformis
Numinis excepit speciem sub tegmine quercus.
Tu uero haud umbra; sed summum luce patenti
Suscipis indutum mortali carne tonantem
Sub tua tecta; lepram legis de corpore ponens
Et fidei ueræ illustraris lumine tanto.
Ille uiris tribus apposuit similaginis igne
Escas triticeæ coctas uitulūq; tenellum.
Tu uero typicum tollenti crimina mundi,
Assatūq; tuo factori porrigis agnum.
Ille casæ plantas diuinas tegmine mundat,
Hicq; tuis laribus digitos & pectora tergit,
Occultasq; uias hominum manifestat olympi.
Omnibus expletis igitur, cænaq; parata.

De morte christi.

Cum sol occiduis fessus se mergeret undis.
Ingreditur christus fratrũ stipante caterua,
Et primum postes legali sanguine tingit,
Lotas deinde manus siccans mandalibus albis
In medio fratrum residet, celeresq; ministri
Dum spargunt mensa cererem: dũ pocula ponunt,
Dumq; hospes patina preciosa porrigit agnum
Rite assatũ sic sotijs fuit ore locutus.
Tempore q̃ longo uobiscum pascoate uesci
Optaui hoc typico, & finire, & tradere uerum.
Hæc ait & pariter uescens cum fratribus addit.
Vos ego delegi nõ me legistis amici.
Vos sotios iunxi, miserãsq; in sceptra uocaui.
Vos mundi statui proceres fideiq; columnas.
Et tandem reprobum uos condemnabitis illum.
Attamen ex uobis unus me uendidit ære
Exiguo, & citius promisit tradere hebræis.
(Auri tantus amor miseris mortalibus hæsit)
Vt mundi auctorem cogat dominũq; deumq;
Tradere crudeli, tandemq; opponere morti.

Hanc ultro subeo prædictam sæpe prophetis,
Immitis doleo, sed fratris utrumq; periclum.
Nam foret huic melius nūq̃ sumpsisse figuram
Humanam, aut uteri uili iacuisse sepulchro.
Obstupuere uiri detecto crimine tanto.
Proditor at timuit, totoq; expalluit ore.
Tristantur, cessantq; piū consumere pascha
Discipuli, & mæsto percussi corda dolore.
Dum iudas ederet solus, dixere magistro.
Quis scelus hoc tantū potuit committere nostrum,
Hostibus ut uendat dominū tradatq; magistrum?
Ipse ne sum? lacbrymans illorum quisq; ferebat.
Respondit placide cyatho qui potat in isto,
Vescitur atq; simul mecū præsente catino,
Hic iudæorum manibus me tradet iniq;.
Perfidus audacter tali tunc uoce profando
Fare magister ait, nunquid sum proditor ipse?
Dixisti retulit christus, cænaq; resurgens
Inferiora petit subito cænacula, & ipsum
Subtristes omnes pariter surgendo sequuntur.

Huc ubi peruenit, tacitus circumspicit omnes,
Vestem deinde suis humeris deponit, & albis
Linteolis cinctus, binis genibusq; reflexis
Fundit aquam pelui: petriq; lauare uolentem
Primo pedes; petrus prohibet stupefactus; at ille.
Voce tonans alta quid, quid? bone surge magister.
Nonne manus istæ me me traxere profundis
Nuper aquis? claudis gressus & lumina cæcis
Exhibuere? pedes uideo nūc uelle lauare.
Ignes ante leues descendent quippe deorsum.
Atq; sui repetent ortus conuersa meatus
Flumina, q̄ patiar miser omnipotente lauari.
Talia iactantem christus suspexit, & inquit
Deberes humilis gestis intendere mentem
Petre meis; causas scrutari namq; supernas
Non decet: id circo monitis ne obsiste magistri,
Namq; modo manibus si non mundabere nostris,
Non eris in patria mecum regnator olympi.
Si sic res habet, en totum me trado lauandum
Petrus ait, laxatq; pedes, dominoq; lauantur.

Iudæ deinde lauat plantas digitosq; nefandos.
Desiccatq; pio panno; qui condidit astra.
O pietas maior cunctis sub sole creatis,
Seu sint, quæ in terris mater natura ministrat.
Seu quæ mira tegit nobis sub gurgite uasto.
Aere siue cauo tandem quæcũq; operatur.
Huc huc mortales tumidi conuertite mentem,
Quos tenet implicitos nodo uindicta perenni.
Deniq; cunctorum pedibus manibusq; relotis
Cœnam intermissam sotijs comitantibus intrat.
Sedibus atq; suis cunctis residentibus infit.
Testamenta ualent testantũ morte sequenti,
Sanguine uel uituli chari, mea dicta tenete
Discipuli memores, primum iam comprobat usu;
Quippe modum, constat legis datione secundus.
Nam moses rediens montis de uertice sinæ
Sanguine conspersit populos, & sanguinẽ legem
Sic memorans dominus uobis confirmat in isto
Sanguine iussa decem, & contẽta uolumine uerba
Sed quia non constat legem perfecta monere.

Eiusdemq; patet finiri morte ministros,
Vnde sacerdotum mortem reparare necesse est
Rite nouis semper sanctorum in sancta quotannis,
Qui semel ingreßi uitulorum sanguine poßint
Crimine pro populi summum placare tonantem.
Finem propterea pono legalibus, atq;
Non in sanctorum ingrediar iam sancta alieno
Sanguine, sed proprio conscendam sydera cæli
Irrumpēs iter occlusum cæliq; fenestras,
Aeternoq; patri mundi pro labe sacerdos
Astabo reuocans semper super astra fideles.
His dictis, oculos tollens ad sydera grates
Egit, & accipiens cererem calicemq; seorsum
Sacrauit: libansq; prius porrexit & inquit.
Sumite, nanq; meum hoc corpus, sanguisq; beatus,
Sicq; salutiferam mortem memorate propinquam,
Donec finis erit, secli me iudice & orbis.
Interea hoc cælis delapso uiuite manna,
Et uegetate fidem diuino nectare sumpto,
Donec lætante mecum cænetis in illa

Cælesti patria mortali ueste soluta.
Sicut enim in mundũ clausam per uirginis aluum
Veni, sic superos scandetis membra per ista
Sancta, licet specie uelentur sacro Aliena.
Maximus hoc citharam pulsando pectine eburno
Ante propheta uidens prædixerat affore tempus;
Quo non pinguis ouis, uitulus mactatus & agnus,
Sed panis solumq; merũ sacrabitur aris,
Ille uelut decimas Abraham, cui tradidit, egit.
Deniq; sumpserunt omnes; sed dæmone iudas
Arripitur necq̃, cupiensq; efflare uenenum
Iam iam conceptum, pretiumq; haurire nefandum
Sanguinis innocui; furtiue uespere facto
Subtraxit sotijs sese, sanctoq; magistro;
Et iudæorum crudelia tecta subiuit.
Haud secus ac lupus aspiciens errare iuuencum
Montibus; atq; illum desperans sternere solum
Posse; peragrando siluas ululatibus implet
Impiger; atq; alios famulentos contrahit omnes
Inq; unum triuio lecti tacitiq; morantur;

Optatum donec poßint iugulare iuuencum.
Pessimus haud aliter iudas: sed rite redemptor
Paschate finito typico: uero que reperto
Diuinum pæana canens cum fratribus illinc
Egreditur montem que syon solimam que superbam
Deserit, et culto nutantia pectora firmans
Illorum sermone locum, solitum que recessum
Montis oliueti repetit comitantibus illis.
Insuper adiecit pergendo talia uoce.
Nemo mihi meritos fidei persoluet honores
Nocte hac filioli uestrum, obsequium que paternum:
Immo fugam rapiet me solo quisque relicto,
Cum me deprensum cernetis milite et armis.
His petrus ingemuit, cordis que dolore retactus
Arma amens strinxit secum quæ parua gerebat.
Prætertensque alios subblimi uoce tonabat.
Quis capiet charum petro uiuente magistrum?
Quis fugere ex nobis te capto christe ualebit?
Et si deficiant orbis. sol. pontus, et astra
Deficere an poterit petrus quanquam magistro?

Hanc animam pro te potero diffundere saltem.
Tu ne animam fundes? non gallinatius ales
Cantabit ter, quam me cognouisse negabis,
Christus ait, signoque sequi tres imperat inde,
Intra et telis iactum exoraturus abiuit.
Hactenus haud procul elongati littore curuo
Nauimus: undosum pelagus: grauidumque procellis
Tranandum restat, forti nunc robore puppi:
Est opus et uelis ualidis nunc pectore firmo,
Quo mortem domini possim memorare salubrem,
Ergo spe super et matre aspirante tonantis,
Quae tormenta sui nati pariterque dolores
Omnes conspexit praesens animoque subiuit,
Funibus incisis committo carbasa uentis.
Tempus erat cum membra tenet mortalia somnus:
Defessique uiri deponunt corpora stratis.
Cuncta silent, radios fundebat luna malignos,
Quandoquidem nubes fuscabant aera multae.
Discipulos passim prostratos somnus habebat:
Stertebantque simul confuso nocte susurro.

At Christus pern x meditans tormenta propinqua
Instantis mortis tolerandæ luce sequenti;
Solus agonizans lachrymis deplorat obortis.
Sanguineosq; ferens sudores corpore toto
Procumbit, tenuiq; patrem sic uoce precatur.
Mi pater omnipotens, per me qui sydera pulchra,
Angelicas mentes, homines, elementaq; uasta
Principio solus sublimi mente creasti.
Perq; hominem lapsum qui me decreueris ipsum
Saluare: & cæli clausas aperire fenestras:
Iussa capessendo studiosus cuncta peregi;
Sola crucis tandem restat tormenta subire.
Sed quia sunt dura & plusq̃ crudelia, sensus
Horrescunt omnes: trepidatq; timore uoluntas.
Da pater ergo mihi calicem non sumere talem;
Nec tam crudeli patiare occumbere morti.
Si tamen ista manet, perstatq; immota uoluntas;
Nec cæleste licet fatum reuocare precando:
Dulcem commendans matrem, sotiosq; pauentes,
Exequar omne tuū firmato pectore uelle.

His fremuere poli, compassaq; castra superna,
Et collecta simul summum petiere tonantem.
Huc ubi collecti; & coram data copia fandi,
Cælestis soluit sic princeps ora michael.
Numen inexhaustũ nullaq; a mente prehensum
Qui genus humanũ proprio pro crimine lapsum
Erigere, & tandem deserta sedilia cæli
Humanis animis statuis complere benigne.
En tua progenies finibus demissa paternis
Hoc opus assumens mortales induit artus,
Et plus terdenis alacer commilitat annis.
Sat tulit aduersi mundi pro crimine hebræis,
Tolle metus igitur tantos; mortemq; tremendam,
Et tandem lætam regnis assume polorum.
Hoc ipse Illachrymans, rubeo & sudore madescens
Supplicat, hoc omnes, pater exorabilis esto,
Tartareasq; acies superandas desere nobis.
Omnipotens solio tunc sic respondit ab alto.
Aetherei ciues cæli fortissima castra,
Rebus in aduersis semper prontissima nobis.

Principio cælis quos deturbastis ab altis,
Hos iterum magno restat depellere ab orbe,
En fateor, uerum, quia tunc læsere rebelles
Numen aperto ore & uiolento marte triforme
Vi decuit subita meritas infligere pœnas,
Expulsosq; polis orco sepelire profundo.
Nunc causa haud similis nec bellum tale gerēdum:
Namq; adam primo deceptus fraude dolisq;,
Iure homines omnes crudeli lege fatigat.
Non igitur superum ui sunt dextraq; potenti
Expellendi regno, sed ratione uel arte,
Iam satis edocta est soboles mea, iā bñ plaustrum
Percutit, ad metam currit, palmamq; capessit
Impiger, & spolijs citius remeabit onustus.
Iam bene prouisum, mæstas deponite curas.
His tandem missis gabrieli talia mandat.
Hæ quibus atteritur pœnis dauidica proles.
Sunt sensus carnis niuea de uirgine sumpti
Purgandi uero citius rationis ab igne,
Ne possint mentem uili iactare timore.

Et licet Haud aliquo pugnet penetrabilis ictu.
Vllis nec poßit uinci qn̄q; sinistris
I tamen & dictis illum solare paternis
I celer, en orat festina, namq; iuuabo
Orantem, & tristem poteris lenire dolorem.
Dixerat, at missus diuinis uiribus usus,
Accipiens animis magni mandata tonantis
Carpit iter linquens regnum flammantis olympi,
Cumprimum uero mortalia regna subiuit,
Formosi iuuenis corpus faciemq; decoram
Sumpsit, & exornans humeros fulgentibus alis,
Ad terras humiles subito descendit ab alto
Cælo, & oliueti consedit uertice montis.
Qualis ab aeria strictis uelocior alis
Nube cibo reuolat pullos pastura columba,
Talis descendens dictis de culmine cæli
Nuntius his christi titubantia pectora firmat.
Nate deo, ipse deus mundi fabricator & autor,
Qui genus humanum labyrinthi erroribus arte
Demonis implicitum, carnis sub ueste caduca

Eripis, & superum desudas reddere regnis
Nempe opus æterno dignum, summoq; tonanti,
Optatũq; polis, terris, cunctisq; prophetis.
Sed quia, quæ gestas mortalia membra resistunt
Horrescuntq; sibi semper contraria sensus,
Euitare crucis mortem: calicemq; precanti
Hæc precibus uictus tandem respondet ab alto
Ipse pater solio, & summam declarat olympi.
Si te digna cupis facere & pulsare superbum
Luciferum terris, orcoq; ligare profundo,
AEternamq; polis pacem terrisq; parare,
Est tibi pro mundo moriendum sub crucis alto
Stipite, cedendum ullis nec sub sole sinistris.
Nam secus haud ardens abraham tibi cederet ille,
Qui dulcem natum iugulauit uertice mõtis
AEthereos iussus complens uotumq; tonantis,
Nec puer insignis ferro submittere colla
Promptus amore poli, teneramq; effundere uitam
Filius, occisi nec tot sub lege prophetæ.
Parte hac nec detij fortes, natusq; paterq;,

Mutius aut patiens, cocles nec curtius ingens,
Nec plures alij pulchro sub nomine famæ,
Qui dulcem patriam morte eripuere cruenta.
Tu ne times uitam pro toto tradere mundo?
Quo uero hunc ualeas mæstum superare timorem,
Ardentiq; animo mortem patiare seueram,
Cernere quot palmas uictrices, quotq; triumphos
Dat pater, accipies ex tanta morte tyranno
Deuicto, & quot uictores tua signa sequemur.
Despice luciferi nulla formidine regnum
Quam solidū perstet semper, quamq; ordine nullo
Insontes, sontesq; simul deturbet in orcum,
Vndiq; collectos, cæcoq; in carcere clausos
Territet, atq; nouis semper stridoribus angat.
Iam plenus carcer positus sub rupibus imis
Inferni, capiuntq; nihil nigra claustra acherontis,
Hæc nisi morte tua datur instauratio nostra,
Quam tibi perpesso obsequium prestabit olympus,
Affixoq; cruci terrarum seruiet orbis.
Prospice signa tuis manibus suscepta beatis

Quam bñc propugnans solymorum primus in urbe
Afflixit stephanus, populo lapidante nefando.
Prospice quamq; pie summum te limen adoret
Tarpeium, ueterum diuum figmenta perosum,
Romulidum fidei minime documenta secutum
Sed tua, quæ proprio fundabunt sanguine fuso
Petrus, & ardentis fidei duo fulmina paulus,
Quos sequitur iuuenis campis laurentibus ingens
Hesperiæ decus inuictus laurentius igne.
Prospice quamq; potens animi uincentius omne
Tormentum ridens ēt post funera uincit.
Sed quid dura uirum memoro tibi prælia, qñ
Debilior sexus non inferiora sequetur?
En tua regalis catharina audentius annos
Vix pubertatis peragens, quæ prelia uincit
Quosq; agnes referet uirgo romana triumphos,
Præfulgens agatha, & scintillans lucia cælis.
Additur his uirgo dura de gente alemana
Vrsula virgineo bellatrix agmine septa
Currentes post te, & cæli pæana canentes.

Non sint hora duces memorare ex ordine plures
Prona, uel immensos populos aperire beatos:
Qui fidei muros fabricantes sanguine fuso
Morte tuum propria tollent ad sydera nomen.
Sensibus obtusis igitur iam tolle parumper
Christe animos celeremq; uide uelocius euro
Cras mortem transisse tuam, tormentaq; cuncta.
Namq; prius medium quam sol pertranseat orbem,
Vicisti, uictorq; lacus spoliabis auerni.
Hæc ait, & posito repetiuit corpore cælum.
Erigit at christus se se precibusq; locoq;,
Sanguineoq; uidens corpus sudare liquore,
Et faciem madidam lachrymis, pectusq; repressum,
Cuius tanta manus, fortisq; potentia dixit
Me dedit in præceps, uel debilitata potestas
Assumptæ carnis, uel ditis principis ira.
Sit quodcumq; minus cædam, mortemq; subibo,
Qua mortalis homo ualeat conscendere ad astra,
Primi clausa malo cunctis errore parentis.
Hoc pater imposuit, sic prædixere prophetæ.

Hæc ait, & sotios firmato pectore adiuit.
Quos ubi stertentes offendit contulit ore.
Iam satis est somno indultum, sat membra quierũt,
Euigilate uiri precibus, pietatis & arma
Sumite, & hanc noctẽ precibus superate tremẽdã,
Ne pereunte fide baratri tendatis ad ima.
Vix ea finierat medio cum lapsus ab hoste
(Quod signum dederat) defixit basia iudas
Perfidus, ac dixit domino sanctoq; magistro.
Non horum complex, qui te cinxere corona
Armatorum adsum, solito sed more saluto.
Non sic Christus ait ficta sed pace magistrum
Hostibus exponis desperatissime iuda.
Illi autem signum iuda prodente catenam
Coniitiunt, Christumq; ligant feritate suprema.
Haud secus ac puppis preciosis aucta lapillis
Fluctibus immensis uentis agitata per altum
Aduersis, multis capiatur nocte pyratis.
Aspiciens petrus hæc uagina protulit ensem
Pontificisq; auremserui resecauit, at atrox

Centurio idcirco bellum direxit in omnes
Discipulos, Christus uero sermone retraxit
Perplacido, seruiq; aurem sanauit & inquit,
In me quem petitis uestrum conuertite ferrum,
Hos humiles uero sotios permittite abire.
Capto igitur Christo diris urgentibus armis,
Discipuli effugiunt diuerso tramite flentes.

Vincentij manerij monachi cartusiensis de morte Christi liber secundus.

SIc capto tandem illudunt post terga manusq;
Constringũt, stringuntq; ptos post terga lacertos.
Et cum callerent alias uitasse ruinam,
Nubeq; contectum medios trãsisse per hostes.
Adducũt caute collecto milite ab horto,
Ipse libens illos sequitur uelut agnus ad aram,
Ingreßiq; urbem & crudelem principis aulam
Nocte sacerdotum quo iam conuenerat omne
Conciliũ, loris introduxere reuinctum

Centurioq; ferox lætantibus obtulit illis.
Quo uiso caiphas mendax simulare tribunal
Iustitiæ cœpit falsosq; exquirere testes
Lætus, conciliũq; senum, proceresq; maligni
Hoc faciunt etiam, ut christum conuincere possint.
Sed quia iam christi pietas uulgata per omnes
Extiterat, facile haud poterāt mendatia in illum
Fingere, ppea pepulerunt dissona multa.
Tunc duo mendaces dixerunt scire fatemur
Hunc retulisse, dei templum prosternere solus
Maius & in triduo possum fabricare potenter,
Interea tentans princeps sic fatur iesu.
Tot cernens in te testes proferre miselle
Impia, cur retices cur non ratione refellis?
Obticuit christus noscens, quæ ferre uolebat.
Ille ait adiuro per uiuum numen olympi
Dic coram patribus, si existis cælica proles.
Christus ais dixti quamq̃ & si iudicer, olim
Adueniet tempus quo iudex cernar in astris
Dextra tenens iuxtaq; patris residendo tribunal,

Terribilis ueniam cunctorum crimina taxans.
His dictis caiphas uestem lacerauit & inquit.
Audistis proceres, hem plasphemauit iniquus,
Diuinosq; sibi usurpat mortalis honores.
Non opus est ultra testes exquirere, iam iam
Commeruit mortem proceres dixere maligni.
Tunc uelut in fassum crimen sæuire licenter
Cæpere, atq, alius uultum sputamine fædat,
Cæsariemq; alij sanctam barbamq; reuellunt,
Atq; alijpalmis posito uelamine fronti
Percutiunt faciem crudeli uoce tonantes
Fare propheta nouus, quis te percusit? & alter
Hi tibi messia, hi primi debentur honores.
Ille prophetarum uoces implendo silenter,
Omnia constanti & generoso pectore suffert.
Deforis at petrus cernens spectacula dira
Mærebat pauitans, tectumq; intrare timebat,
Ne pulsus finem nequeat nouisse magistri.
Ingresso tandem sotio ducente ioanne
Pontifici noto. sic quadam ancilla locuta est.

Tu quoq; sectator galilæi discipulusq;
Huius eras, istud nec sum mentita loquendo.
His petrus exanimis, promissum nec recolendo
Magnificum dandi pro Christi nomine uitam
Continuo renuit, nec Christum scire fatetur,
Dumq; exire parat gallo cantante ministra
Ecce alia, & petro multis astantibus inquit.
Hem quocunq; ibat galilæus captus Iesus,
Hic quoq; pergebat studiose cuncta ministrans.
Territus his iterum petrus iurando negauit,
Nec mora complures manifesta luce tulerunt
Astantũ, uere ex istis te noscimus esse,
Nam facies, sermoq; tuus declarat, at ille
Ex istis ego: de nihilo qui cuncta creauit.
Me perdat, capto si nusq̃ noscor ab isto,
Petrus ait, gallusq; iterum cantauit & ipsum
Cælitus admonuit Christus, nutuq; repreßit
Eminus, & lacbrymis idcirco fleuit obortis
Se cecidisse dolens, dulcemq; negasse magistrum,
Egressusq; foras noxam defleuit amare.

Et quia iam mediũ noctis defluxerat, omnes
Strata petunt, gratamq; student captare quietem.
Centurio uero claudens in carcere christum,
Marmorea iussit famulis uincire columna.
Noctis ubi reliquũ pœnis egere seueris.
Aurora interea tetri præsaga diei
Subtristis surgit mæstis inuecta quadrigis.
Pontifices uero rursus proceresq; iniere
Consilium, populi ut medio tollatur Iesus.
At sceleris iudam sed falso pœnitet acti;
Seq; reum noscens; plectendum & morte magistrũ
Sanctum, se coram grauiter peccasse fatetur;
Anteq; pontifices precium proiecit & aurum.
Illi aũt haud refert nostra: hoc tu uideris aiunt
Quem pretio accepto nobis donaueris ultro.
Desperans igitur scelus emendare supremum
Et sceleris pariter ueniam: finire dolores
Decreuit laqueo, truncoq; arente pependit;
Visceribus rupto medio de corpore fusis;
Sacrifici uero arentum relegendo profanum

Sanguinis hoc pretium non conſeruetur in arca
Dixerunt templi; ſed aliquem pendatur in uſum.
O ſcelus intrepidi pctum in pectore claudunt,
Atq; nefas reputant aurum ſi clauditur arca,
Cuiusdamq; pari uoto mercantur agellum
Figuli, ut externos defunctos condere poſsint.
Diſcipulus uero nimium dilectus ieſu
Non procul hæc ſpectans, & preſſus corda dolore
Hoſpitis acceſſit ſimonis tecta leproſi.
Mater ubi dñi multis ſotiantibus illam
Hoſpes erat, natiq; nimis ſuſpenſa manebat,
Ingreſſusq; domum conſciſſis ueſtibus atq;
Vertice conſperſo lugubri puluere tandem,
Infelix o mater ait, proh uendidit auro
Diſcipulus neq́ iudas, ac tradidit hoſti
Pontifici ſummo natum populoq; inimico.
Cor præ dura pauens penetrarunt nuntia ſanctæ
Virginis & matris potuitq; hæc pauca referre.
Hei mihi quo ſemper fueram ſuſpecta timore
Impegi, cælumq; precans ſic ore ſeorſum

Addicit, omnipotens qui noscis origine cuncta
Orbem quiq; pio seruas moderamine magnum,
Hostibus en captum, comunm respice natum.
Pontificum uotis, populi inuidiaq; maligni
Ne patiare mori, matri sed redde precanti
Incolumem, ni forte dolens indebita posco.
Optima dilectrix flauos furibunda capillos
Nunc lacerat manibus, nunc implacata fenestri
Infringit, mæstæ dominæ exululantq; sorores.
Ast ubi uirgo preces fudit, surrexit & inquit.
Non opus est lachrymis, opus est nunc mente sorores
Consilioq;, quibus possimus ferre salutem,
Sed timeo tarda istæc quæ medicamina tento,
Sic effata domum egreditur reliquiq; sequuntur,
Dumq; iter accelerant; uirgo progressa nepotem
Aduocat, & duci ad sedes se præsidis orat.
Vix ea finierat properans, cum forte frementem
Prospiciunt turbam, & medio post terga reuinctus
Agnouit natum mater natusq; parentem,
Vnde utriusq; dolor pectus penetrauit obortus

Maximus, & tales tandem dedit ore querelas
Quo male tractantes trahitis mea pignora: tantum
Nulla nefas usquam patria hoc uel barbara nouit,
Vt iuuenem uitam qui multis tradidit ultro
Defunctis, claudis gressus, qui lumina cæcis,
Quiq; famem populis multis exemit eremo;
Deniq; qui innumeros nullo medicamine morbos
Abstulit; hunc studeant mortis iactare periclo;
Fasq; nefasq; unum hic, ratio non ulla colendæ
Iustitiæ, inuidiæ at regnant odiumq; ueternum.
Heu desertores æqui ambitione sepulti
Quot mala uos ciues merito patriamq; morantur.
His sequitur clamans ceu lamentatur hirundo
Cum uidet implumes deprensos hospite natos.
Ergo cum staret deductus præside coram,
Demissis oculis maculatus & ora cruore.
Criminibus fictis christus fœdatur ab omni
Pontificum turba: scribis, populoq; sequaci.
Non tamen obijtiunt legis maledicta scientes,
His minime offendi confictis præsidis aures,

Sed sibi quod cupiens regni diademata clara,
Cæsaris impediat censum, populosq; fatiget,
At præses cernens memorari nomina regis
Ipse ne rex es iudæorum? dixit Iesu.
Ille ait en faris, sed non terrestris in orbe
At fidei ueræ rex sum: mundiq; futuri.
His pilatus iesum non terrena sequētem
Regna: sed æternum noscens cæliq; tribunal,
Quo sibi promittat potius, mundumq; futurum,
Cæsarea re salua & nullum crimen in illo
Noscens, uerbumq; ex illo extorsisse peroptans,
Quo ualeat culpis illatis reddere saluum:
Quanta in te impingant capitalia crimina passim
Non audis? dixit, cui nil respondit iesus,
Ne expectata salus deesset mortalibus ægris.
Tunc preses iuuenem capitis discrimine noscens
Nil respondentem, turbis instantibus inquit.
Crimen in hoc homine haud ullum dignoscitur esse
Iudice quo addici morti a me debeat atræ.
Quanto lata magis refouet sententia christum

Vocibus his magis acclamant, furijsq; ualeſcunt.
Peſtifer his totam atra ſeditione peremit
Iudæam incipiens galilæis finibus almam
Deuaſtare fidem, linguæq; necare ueneno.
Aure tenens præſes galilæam ſoluere mendis
Terminat impoſitis, proprio uel iudice quæri
Omne quod obijtiunt christo, herodiq; remittit,
Venerat ad ſolymos illis qui forte diebus,
Hicq; diu cupiens chriſtum ſpectare tyrannus
Virtutesq; aliquas ex ſignis quæ faciebat
Coram ſe fieri, nimium ueniente hilareſcit,
Sed dum de multis percontaretur ieſum,
Nec reſponſa daret, nam delectare tyrannos
Venerat ille minus, mundo ſed ferre ſalutem,
Rumpere nec quoq̃ ſeruata ſilentia uellet,
Rex illum aſpernans tumidus, regisq; miniſtri
Pilato irriſum candente in ueſte remiſit,
Quod fuit abſciſe ſubita integratio pacis,
Inter utrumq; prius namq; inteſtina uigebant
Diſſidia, & nulla poterant requieſcere pace.

Ast ubi dimissum præses cognouit iesum
Fecisse herodem derisum ueste iocosa,
Primates populi, populum templiq; supremos
Pontifices, scribasq; iubet accire ministros,
Nec mora conueniunt omnes iuuenesq; senesq;
Cum populis proceres, cum scribis ipse sacerdos
Maximus, & dira concordant mente uel omnes
Cæsare despecto passuros ultima rerum.
Vel quocumq; modo christum obiectare periclo
Mortis, & in facinus coniurauere nefandum.
At præses cupiens animos mulcere feroces
Innocuoq; minus se se maculare cruore,
Ecce ait herodes quia nullum crimen iesu
Inuenit, pueris uobis, sed digna iocoq;
Obiectata magis candente in ueste remisit,
Ergo dimittam romano more flagellis
Cæsum; nam magni non debent parua notare.
His dictis omnes magno fremuere tumultu.
Sæuas uero iras lenit sermone benigno
Infelix præses, sedatq; his pectora dictis.

Non nisi iusta sequar; complenda haud curia uerbis.
Vestra hodie ex uinctis est religione perenni
Elegisse reum: populus quem posceret unum.
En barabam uobis homicidam seditiosum
En propono christum, utrum subsumitis inquit,
His humili dictis conscendit uoce tribunal,
Interea cæco ditis sub carcere tenta
Inclyta turba patrum meditantes tempora lapsa
Conueniunt, abrahamq; prior sic incipit heros,
O fidei ueræ proceres mea signa secuti
Per uarios casus uexati tempore longo,
Aduenisse diem optatum, tempusq; uidetur
Prædictum uobis toties, quo tristia claustra
Linquentes hæc cælorum repetamus amæna,
Et iam læta animos requies compleret aperte,
Ni dolor in præsens deflendus maximus esset,
Sed dolor heu cæli percurrit transtra serena
Delapusq; polis per signa micantia in orbem
Ad nos usq; monens crudelia funera uenit.
Hoc erat heu spinis aries occisus inhærens

De morte christi.

Cornibus, hoc nati iussum letale notabat.
Et uobis ēt p̄dictus sæpe satisq;,
Heu moritur solymis nostro pro crimine christus.
O minime nostrum; colubri sed germen iniqui;
Præsentes olim, sanctum qui noscere tempus:
Spreuistis: tamtumq; nefas patrare paratis
Non toties prædicta pijs non cauta prophetis,
Non ualuere minæ miseros auertere tanta
Illuuie, santumq; locum saluare ruinis.
Ecce ruunt acies celeres sub principe contra
Romano solymas aquilis uelocius ipsis.
Ah miseros quoscunq; ferox inueneritillud
Excidium quoscunq; uorax inuaserit ensis.
Ecce uelut pecudes merito uenduntur & altis
Exponuntur aquis mundi per climata agendi
Donec compuncti commissa piacula plorent,
Regnantemq; polis extremo tempore adorent.
Hæc repetens heros lachrymis plorabat obortis,
Huncq; prophetarum numerus laudabilis altis
Lamentis sequitur, complentq; ululatibus antrum,

Sedminime regem latuerunt iſta profundum.
Vnde magiſtratus mundi inferniq; philarchos
Acciri iubet, & furiæ mandata faceſſunt
Primus adeſt briareus procerus corpore, & acres
Centauri, harpyę ſphinges ſcyllęq; biformes,
Stridula lerna ſimul, ueniunt & gorgones atræ,
Irruit & flammas eructans ore chimæra,
Multaq; poſt illos uenerunt monſtra ferarum,
Rex quibus in ſolio reſidens ſic ora reſoluit.
Regis cura uigil ſubito reſecare ſiniſtra
Debet, ut extinctis regnum ſub pace quieſcat.
Hebræorum animæ limbi nouitate recluſæ
Carcere non ſolita finem adueniſſe fatentur
Exilij, & nunc læta trahunt nunc triſtia plorant
Funera ſumma, quibus iam ſperant ſcādere ad aſtra
Aſtra, quibus primo pulſamur tempore ab illo,
Quo deus infenſus nos altis diſpulit omnes.
Funus ieſu ergo citius turbare ſtudendum,
Nemo hominum quando talis ſub ſole niteſcit.
En contra hunc ſolymi conſpirauere ſuperbi.

Propterea a lecto per formidabile monstrum
Aduocat atq; acuit tali sermone tyrannus,
Orbis uirgo tremor uentosas indue pennas
Serpentum & spiras; superasq; uolabis ad auras,
Vxoremq; uiri solymis qui praesidet altis
Territa, ut omnino christum uiolare uerendum
Abstineat; nullumq; ferat nocuisse maritus,
Illa iter arripuit celeri uelocior euro,
Celsaq; pilati solymis in tecta subiuit.
Praesidis utq; uxor placido dare membra sopori
Incaepisset, pictum unum de Crinibus anguem
Conijcit in corpus; tremulosq; immittit in artus;
Faemineaq; dedit trepidando talia uoce.
Anne ēt fasces in mortem stringere christi
Audebit quisq̃; non si foret ipse supremus
Caesar, & his dictis herebi penetrauit ad ima.
Illa aūt attactu serpentis territa diri
Bacchantum similis tectum discursat in omne,
Cum primum uero penitus mortalibus alma
Effulsit lux, dat celeri mandata ministro,

Quatenus exanimis iaceat prostrata cubili
Nocte uiro referat, multis exterrita christi
Prodigijs causa, atq; ipsum petora morantur,
Si Illius indignæ morti consentiat unq̃.
Velox quamprimum exequitur mandata minister
Cuncta uiro referens, quæ coniux chara adamato
Mandarat, longoq; monet sermone pauentem.
Interea plebs dum quem delegisse duorum
Nutaret, dubijq; animi sub lance labarent,
Sacrifici suadent, medio ut tollatur iesus,
Dum se diuinam prolem iactaret ubiq;,
Prostraretq; pios ritus & tradita patrum,
Ad uulgusq; rude impellunt crudelia uota,
Cumq; iterum præses populum elegisse moneret
Mæstus utrum mallent, conclamauere homicidam
Poscimus, & rursus cupiens leuiore flagello
Reddere placatos, humili sic uoce profatur
Pro christo, fateor scelerum persoluere pœnas
Debere, & meritis condigna capescere iniquos
Sed pœnæ cumulum culpas æquare decorum est.

De morte christi.

Quare cum barabam pariter cupiatis iniquum,
Quid faciam regi uestro, cui nomen iesus?
Illi conclamant furibunda uoce tonantes.
Occidat ille cito, cruce suspendatur in alta.
Supplitium hoc erat atrox & miserabile ualde.
Innocuum crucifigam? ait, hẽ quo crimine dignus
Supplitio tali, præses dimittere possem
Castigatum loris & leuiore flagello.
His feruente uelut subiectis ignibus olla
Exundat latices; toto molimine tolle
Tolle cruce acclamant, ligno moriatur in alto.
O patria electa, ô sedes celeberrima cæli,
O fidei forma, o, regum penetralia quondam,
Nunc uitii fomes, saluantem despicis illum
Quem patriarchæ omnes, quẽ prædixere prophetæ
Deligis & scelus & deposcis uoce profana.
At præses populi diro commota furore
Corda uidens, cunctosq; aptos miscere tumultus:
Deserit inceptas christi defendere partes:
Et manibus turbatus aquas offerre ministris

Imperat, hoc repetens populo dum spōte lauatur.
Hac ego sic culpa mundus sum sanguinis huius
Inno cui; uos soli auctores, causaq; mortis
Estis, & hæc olim forsan fecisse pigebit.
Cui totus populus magno clamore tulerunt;
In caput hæc nostrum recidant generisq; futuri
Quæ maledicta iacis spargendi sanguinis huius.
Infelix uulgus præses cui immisit habenas,
Cum potius pilis motos sedare tumultus
Debebat; sic quippe bonus seruasset utrumq;.
Sed uictus tandem diris clamoribus atræ
Morti opponit iesum saluum & reddit iniquum,
Vota sequens uulgi potius q̄ iura secutus.
Centurio uero subito protraxit iesum.
Armatosq; suos alta ad prætoria cogit.
Vrbibus utq; solent homines illudere captis,
Ignauiq; simul miseros ridere libenter:
Vtq; queant duro romano more flagello
Castigare; iubent christum deponere uestes,
Iudæiq; focis addunt ardentibus ignes.

De morte christi.

Denudatur, iesu ergo sanctissima caro,
Funibus & saeui rigida strinxere columna
Et trucibus caedunt regalia membra flagellis.
Membra niuis caelo dudum candore ruentis
Candidiora rosae uelut & mollissima prati.
Caesa ergo in tetrum uertuntur membra colorem
Rumpitur inde cruor percussus sanguinis unda
Vndiq; larga fluit de toto corpore christi.
Ceu cum uere nouo rubicunda rosaria uernant,
Et subito erumpat stridens aquilone procella,
Omne decus roseum uiolenter flando resoluit.
Non procul haec cernens tristis spectacula mater
Impia, cum manibus tollens ad sydera uoces
Nutat, & ad terram prolapsa est corpore toto.
Ast ubi ceu tygres sanctum sparsere cruorem,
Protinus ad mentem reuocant diademata regni
Affectasse, iubentq; afferri insignia regis,
Vt possint illis et ridere cruentum.
Purpura adest, tyrio sed non detincta colore
Sed quae uix poterat rubea apparere uetus [illegible],

Confingunt spinis ēt diadema retortis:
Pro sceptro uero nodōsa offertur arundo.
Purpura membra tegit, frontem spinosa corona.
Sceptra relata manus ornant, & poplite flexo
Ordine, rex regum, repetunt, fortißime salue
Inclyta cui soli poterit succumbere roma,
Irridendo tamen memorant uerißima quondam.
Vltimus e manibus sceptrum capiendo coronam
Vulnificam reprimit, penetrāt at tempora sentes,
Sanguinis unde fluunt plures de uertice riui,
Atq; alij sacrum fœdant sputamine uultum.
Præscius hæc uates longe prædixerat ante.
Hei mihi q̃ fœdum lacerumq; aspeximus illum.
Vt leprosus erat, populo despectus ab omni.
Attamen hic nostros poterit portare dolores
Solus, & offensam proprio sanare cruore.
Vexatus tacuit, nam mortem sponte subiuit,
Propterea sternet multorum regna potentum,
Et spolijs tractis uictor regnabit ouansq;.
Ast ubi cædentum satiata est dira uoluptas,

Supplitijsq; animum sæuæ expleuere cohortis,
Dant chlamide extracta propria se cingere ueste,
Atque crucis laceræ ceruici pondera ponunt.
Ille aũt titubans percusso corpore toto
Sponte subit, quãtumq; potest data pondera portat.
Vndiq; conueniunt conciues, aduena & omnis,
Quorum pars hilaris sequitur miserabile funus,
Pars lachrymas fundens cælum clamoribus implet.
Ipse urbem egressus totis ex uiribus haustis
Deficit, atq; crucem ponens plorantibus inquit.
Filia uirgo sion lachrimas ne funde tepentes
Pro me, qui morior mundi pro labe libenter:
Sed uos spargendas orbis per climata magni
Confectasq; fame & natorum uiscere pastas
Flete, uel atroci transiectas ilia ferro,
Quando effundetis miseram cum sanguine uitam.
Tunc uilla iuueni uenienti pondera ligni
Pro christo imponunt, ipsumq; ad golgota ducunt.
Golgota mons altus solymorum mænia supra
Nubibus obtectus uento pulsatur & imbri,

Horridus urticis ebulisgrauibusq; cicutis.
Quem circum cingunt baccis auiaria paßim
Sanguineis, cythisi, dumi, mæstiq; cupreßi,
Et uarij frutices paßim sterilesq; genistę,
Hæcq; cadaueribus summo uenientibus obstant
Vertice, & in tumulos collecta cadauera odorem
Effundunt tristem, horroremq; adeuntibus addunt.
Huc ubi deuentum mortem celerare cruentam
Vrgent iudæi; miles mandata facesit:
Ne prope quæ inuitus mortis decreta tulisset,
Mutatus præses reuocet miseratus iesum.
Ergo ministerium mortis celerando operantur,
Et crucis hic foueæ tacitus fastigia finit
Altius, hi uero magno molimine tollunt,
Offirmantq; crucem confixo robore circum.
Malleolosq; alij clauosq; ex urbe tulerunt,
Et triplices scalas, medicataq; pocula felle,
Amputat ast alius clauorum sæuus acumen,
Maiorem obtusi ut poßint conferre dolorem,
Ergo cum staret nudatus corpore christus:

De morte christi.

Nonpotuit mater tantum sufferre dolorem,
Sed ueluti raptis fulua ccru:ce leæna
Inspectis catulis penetrans contraria quæq;,
Peruenit ad catulos, mugitus fundit & altos.
Talis uirgo dolens uulgus penetrando inimicum
Transuolat ad natum, corpusq; amplexa cruentum
Alta uoce tulit, uirtuti hæc præmia dantur
Nate tuæ? possunt quem nullæ tangere labes?
Hæc tibi pro tantis meritis iudæa rependit?
Sic synagoga sibi promissum lege recepit?
Vi subtracta tamen, capitis uelamine nati,
Contexit femora, & natum uocitando recessit.
Ante crucem tandem illum deduxere trementem,
Et duo carnifices scalis ad cornua iactis
Alta crucis scandunt a tergo ut turbo, uel ursi,
Ante aūt celeres scalas posuere minores,
Et christum domini moriturum scandere cogunt,
Ipseq; ceu phenix stratum moritura salubre
Scandit, & ascendens ligno dare terga iubetur.
Impiger obsequitur regalia brachia pandens.

Suspiciensq; polum rauco sic addidit ore.
Sume diu optatum mundi pro crimine sacrum
Omnipotens, noxamq; diu dimitte retentam
Iam miserere syon, nam tempus commiserendi
Venit, & humano generi placare iacenti,
Thesaurosq; diu pietatis pande negatos,
Militibusq; manus ligno figentibus addit.
His quoq; parce precor, solita pietate misellis,
Ignorant etenim penitus quæcumq; operantur.
Interea pendet pedibus non stantibus æque,
Sublatisq; crucis scalis ad cornua postis,
Annixu summo plantas fixere trahentes.
Protinus ossa patent, exhaustæ & sanguine uenæ,
Apparentq; simul neruis hærentia membra.
Hinc atq; hinc læti geminos fixere latrones,
Et pariter mortis titulum posuere seueræ,
Rex iudæorum hic ab nazareth extat iesus.
His alacres actis partiti sanguinolenta
Vestimenta sibi, atq; insutam sortibus albam
Exponunt tunicam, exoptatq; obtingere quisq;

Sorte sibi, nimium quando fulgebat in illa
Aetereum quondam, quod lingua aperire ualeret
Nulla quidem, & uestis sanctæ reserare decorem,
Quam bona mater acu totam contexerat illi,
Et cum uestiret puerum sic uoce precata est.
Sicut ab egypto patribus redeuntibus olim,
Non attrita diu uestis permansit eremo,
Omnipotens facias seruetur uestis & ista.
Non tinea aut ferrum laceret, non ignis adurat,
Integra sed pueri membris accommoda crescat,
Dum uarios igitur sancti patiuntur amictus
Sortitus, lateq; fluit de corpore sanguis.
Terra herbæq; madent, riuum faciente cruore,
Ast iudæorum nondum satiata seueris
Effera plebs pœnis facinus pia gesta putando,
Iubilat, exultat cursando uertice montis
Coram se gestant fixo capita alta mouentes,
Et subsanantes coniactant impia ligno,
Vah qui templa dei poteras euertere summi,
Et magis in triduo multo fabricare superba.

Saluaſti plures languentes arte potenti,
Nunc tibi pendenti cur tardas ferre ſalutem?
Hisq; ſacerdotum ſpatiantum turba profana
Addidit inſultans, regnanti parcite christo
Regi hebræorum ſolymis in ſceptra recepto
Digna hodie, quibus ereptus ſi ſaluus abibit
Quæ populum paſſim docuit credemus ouantes.
Hæc quoq; dicta dedit confixus parte ſiniſtra.
Si foret iſte dei natus, ſaltemq; propheta,
Et nos deſcendens & ſe ſaluaret ab iſto
Stipite. cui contra cur tot maledicta profaris
Dexter ait prædo? Nos factis digna ſubimus.
Hic uero iuſtus quid; quid niſi cælica fecit?
Id circo domine altos cum penetraueris orbes,
Sis memor oro mei, ſeruum nec ſperne fidelem
Luminibus fixis chriſtum ſpectando precatur.
Ille ſalutiferam faciem uertendo parumper,
Eſto hodie lætus paradiſi in gaudia mecum
Aduenies dixit, rident promiſſa ſuperbi
Iudæi, & paſſim noua ſubſanatio creſcit.

Ipse aũt psalmos percurrens mente dolores
Lenit, & exorat cælum succurrere matri,
Quam iuxta stantem materno nomine presso
Discipulo in matrem dilecto tradidit, hunc&
In natum matri rursus commisit habendum.
Tunc magis intense ferrum penetrauit acutum
Pectora, quod simeon mariæ prædixerat olim,
Collapsamq; piæ releuant plorando sorores.
Cum primum uero potuit persoluere uerbum,
Ore, polos spectans tenui sic uoce precatur.
Omnipotens; natum qui tantos ferre labores
Iussisti, & uitæ nullam sperare salutem
Heu datur: hos saltem citius finire dolores
Fac oro, monstraq; mori tua pignora inique.
Nec mora uestitur tetra caligine cælum,
Et tenebræ à sexta terram obduxere iacentem
Hora, nam proprij crudelia funera noscens
Auctoris texit pulchram ferrugine frontem
Sol, atq; æternam timuerunt omnia noctem.
Tunc aram passo grai struxere sophistæ,

Ignotoq; deo libarunt sacra pauentes:
Hora uero nona beli clamauit iesus,
Q uid meus omnipotens extrema linquis in hora
Scilicet? atq; oculis lachrymæ cecidere tepentes.
Peruerse uero uerbum capiendo profantur
Astantum quidam geniti de stirpibus imis.
Iam patris auxilium desperans ecce prophetam
Inuocat infelix, ueniat deponere ligno
Helias, aut alius quisq̃ sub sole uocatus.
Deficiens tandem christus uirtute soluta
Corporis, & fuso cunctis de sanguine uenis,
Clamauit sitio, sitiebat namq; salutem
Primo hominũ, ut ceruus qui ad fontẽ currit aquarũ
Deinde sitim summam fluuio lenire uolenti,
Fel mistum calamo quidam porrexit aceto.
Abstinuit christus degustans pocula amara,
Omne opus exegi referens, tormenta sacrumq;,
Nunc animam tãtum pulchram tibi reddere restat,
Q uam tibi summe pater cõmẽdãs offero ligno hoc.
His demum dictis matre aspiciente suisq;,

De morte christi.

Horrescunt animi trepidant formidine fibræ,
Clamorem attollens magnum expirauit, & armo
Deposuit dextro caput, & pia lumina clausit.
Qualis in extremis suscepto uulnere cycnus
Candidus exhalat uitam cum uoce canora.
Hoc clamore omnis tremuit perterrita tellus,
Infernusq; ipse & templum uelamine utroq;
Conscisso quando fuerat quod littera opertum
Detectum est subito pretiosa morte tonantis.
Saxa crepant paßim, paßimq; sepulchra fatiscunt,
Mox surrexerunt tumulata cadauera multa
Sanctorum, solvmis testes surgentis iesu.
Centurio uero monstris sotyq; tremendis
Attoniti, tremulas palmas ad sydera tollunt
Conclamantq;, dei fuerant hæc pignora uere.
Perfida gens uero diti Ascribendo receßit.

Vincentij Manerij monachi cartusiensis de morte christi liber tertius.

AT fœdata parens crudeli funere nati,
Et summo mortis sæuæ prostrata dolore,
Corruit; atq; cadens corpus tenuere sorores
Exanime, & grauiter deflent utriusq; dolorem.
Cum primum uero repetisset spiritus artus,
Voceq; pertenui potuisset ferre querelas,
Luminibus fixis dependens corpore nati
Incipit, & clamans tales dedit ore querelas.
Te extinctum tandem crudeli funere nate
Prospicio infelix: utinam inter brachia matris
Vel gremio terræ uitam finisset acerbam;
Mortuus est aũt confixus stipite clauis,
Nec caput inuenit quo se flectendo reponat.
O nimis ignote & tantum mihi cognite nate,
Visceribusq; meis solis & sanguine factus,
Tu rapido cælos æternum turbine uersas,
Terribiliq; tonans mortales fulmine terres.
Te minime potuit pharao sufferre frementem,
Innumeriq; tuæ reges obsistere dextræ;
Regnaq; tu præstas, tu regum tempora rumpis.

Et populos perdis, populosq; resurgere donas;
Et tam crudeli uoluisti occumbere morti?
Ipsa fui infelix tantorum causa malorum;
Quæ uitæ auctorem mortem gustare coegi,
Mortale hoc corpus, moribundaq; mēbra ministrās,
Et tuus almus amor qui cælis traxit ab altis
Te, quo restituas, quod defraudauerat adam.
Nate tuum sæuum cælum quoq; plorat amare
Interitum, radiosq; suos mærore repletus
Continuit titan, retegens caligine mundum,
Ipsi etiam duri morienti compatiuntur
Nate tibi lapides, se seq; dolore resindunt,
Sola hebræorum durescunt saxea corda,
Immo adamantea obsistunt contraria semper.
Hæc & plura dabat mater lamenta dolore
Extimulata graui, magnum cum protinus ecce
Agmen prospiciunt equitum splendore corusco
Armorum properans, pulsantumq; excita tellus
Contremit, hi celeres cōscendunt golgota montem,
Cum primum uero montem tenuere, locumq;

Pendentum crucibus, cunctis spectantibus unus
Armatos penetrans confregit crura sinistri
Prædonis, dextriq; simul resecauit & alter.
Obstupuit diro aspectu mæstissima mater,
Atq; timens nato: lacrymansq; hæc protulit ore.
Dux te per superos, & cæli numina posco,
Et per, si restat pietas mortalibus ulla:
Extinctum penitus saltem miserescite natum:
Iniuste occisum, toties iam præside teste
Vrbis, & hanc miseram in tãto discrimine matrem.
Vt ualeam integrum saltem donare sepulchro.
Flexerat ille animum miseratus damna rogantis,
Cum subito quidam longinus nomine cæcus
Cæcutiens, pectus ferro transfixit iesu:
Vnde emanarunt latices cum sanguine multo
Effusi, in pretium & fidei fundamina nostræ.
Tanta etenim uirtus latitabat sanguine in illo,
Vt ferientis sanarentur lumina tactu.
His actis celeri petierunt mænia cursu.
At mater cecidit crudeli uulnere uiso,

De morte christi.

Tetra etenim nubes subito caua lumina texit,
Tunc deplorantum cura euigilare sororum
Effecit lymphis, uigilansq; ea quærit iesum.
Nil aliud dixit plorans abeundo ioannes,
Fecerunt domino: reuoca tua robora mater.
Consurgens aūt direxit lumina ad astra,
Inflexasq; uidens umbras solemq; cadentem,
Heu quis ait miseram curabit nate sepulcrum
Chare tuū, corpusq; cruce exclauabit ab altaq;
Interea hebræus quidam prædiues iosepb
Discipulus, sectæq; piæ studiosus iesu,
Occultus uero populi formidine multa,
Præsidis audacter tectum penetrauit amicum:
Et coram mæstus detecto uertice dixit.
Optime, prodigiys orbis turbatur ubiq;
Terrarum præses: quando sua lumina titan
Continuit, tremuitq; solum (mirabile dictu),
Cernitur & scissum templi uelamen utrumq;,
Surgentumq; hodie patuerunt multa sepulchra;
Quod bene dij uertant faxintq; hæc omnia læta,

Adde quod interitu multi euenisse fatentur
E medio christi, quem te renuente tulerunt
Sacrifici/populus/proceres/summusq; sacerdos,
Mors indigna quidem iuuene admiranda operante,
Et cui candidior uiuenti uita refulsit
Semper, quemq; modis studuisti soluere multis,
Virtuti uero aduersantur semper iniqui.
Propterea extinctum concedas corpus humari,
Donec luce datur; nam sol iam mergitur undis.
Nec licet in ligno festiua luce morari
Corpora functorum, sed mox posuisse sepulchris.
Hæc ille. at præses ex uerbis centurionis
Certior effectus, christi de morte peractæ:
Admiransq; nimis iuuenem florente iuuenta,
Cruribus intactis lucem clausisse supremam,
Perplacido uultu corpus concessit ioseph,
Ipse aūt grates peragens uestigia torsit.
Interea thuris casiæ, & mercatus amomi,
Mirræ aloesq; libras nichodemus pondere lectas
Eois centum uectas tunc forte sabæis:

Instrumenta quoq; asportans cum sindone munda,
Apta reponendi christum dandiq; sepulchro
Optato, occurrit multis sotiatus ioseph,
Cum quibus excelsum conscendunt golgota mōtē,
Iuxta aūt lignum lacbrymis dum funera ducit
Tristia cum nuribus mater mæstissima christi
Prospicio multos uenientes, ecce ioannes
Clamat, & inde petit uisam explorare cohortem.
Obstupuere noui: iterum terroribus, atq;
Inter plorātum singultus occupat altos
Ossa tremor, serpitq; nouus per corpora pallor;
Discipulus uero cum cognouisset amicos,
Armaq; portantes, quibus exclauetur iesus
Opportuna redit, mater persolue timores
Fando, nam ueniunt corpus sepelire magistri
Prouidus, & clarus nostri nichodemus ioseph.
Illa ait optato uenientibus obuius ito,
Et gratare, polo succurrunt namq; monente.
Vix ea finierat mater cum protinus adsunt,
Poplitibusq; simul flexis, ad sydera tollunt

Lumina, & ad christum palmas: ac talia fantur.
Spes fuerat regno deus omnipotentibus alto
Patratis signis, christum succedere nostro
Debere, & solita nos liberate tueri.
Nunc sic confossus sublimi stipite pendet?
Sed quis facta dei scrutetur mente caduca
Qui solet infirmis magnalia saepe nouare?
Vipeream speciem deserto substulit alto
Legifer in ligno moses, & reddidit omnem
Percussum populum saluum medicamine tantum
Prospecto, & sanson populum fortissimus hoste
Eripuit propria concessa morte tonante.
His dictis, maestam matrem sufferre dolores
Arctius hortantur uenerantes corpore misso.
Illa sed obtecto lugubri uertice ueste,
Dat lachrymas semper suspirans pectore ab imo:
Pro meritisq; pijs grates studiosa peregit.
Ambo aũt haeroes summo maerore repleti,
Et matris gemitus & casum flendo magistri,
Appositis scalis scandunt fastigia ligni,

Oblongoq;

Oblongoq; ligant subter cruce brachia panno
Corpus, deinde manus dextræ molimine ioseph
Extraxit magno clauos atq; oscula plorans
Fixit, idemq; egit nichodemus parte sinistra.
His actis primus descendens ocius ambas
Extraxit plantas, rursusq; ascendit & ampli
Assumpsit scapulis christi uenerabile corpus:
Et descendebat felici corpore onustus.
Si puerum gestans accepit pignus olympi
Ille senex simeon susceptum limine templi:
Si potuit tactus cæcum sanare cruoris
Illius, & fecit sanctum sola umbra latronem:
Si sputo uisum cæcis, si uoceq; claudis
Restituit gressus, uitam si deniq; functis
Exhibuit iussu, quid toto corpore tacto,
Portantiq; dedit, funusq, operantibus illud?
Fortunati ambo, o cæli pretiosa quadriga,
Non qua scipiades, magnusue uehatur in altum
Tarpeium, phębusq; rotis portetur in astris:
Nec qua flāmiuomo curru per concaua cæli

Helias occultum nisi rapiatur in ortum;
Nec uelut alcides humeris gestatis olympum;
Illum sed geritis manibusq; leuatis amicis,
Qui mare, qui terras, qui solus condidit astra.
Cum primum uero potuit pertingere corpus
Mater, aperto ore, erectisq; ad sydera palmis
Mæsta, caput nati capiens in sindone fusa
Cum reliquis posuit, magnaq; hæc poplite flexo
Voce dedit. mi nate iaces uiolentibus armis
Confossus? sentumq; aufert ceruice coronam.
Dumq; sinu ponit corpus retrahendo parumper,
Infixum patuit stridens sub pectore uulnus:
Ipsa aut nutat sancta ceruice reflexa.
Oraq; conspergunt lymphis, reuocantq; sorores,
Ad se qut rediens clamat miserabile uulnus
Abluite, aut certe panno siccate nitenti.
Heu cadere in quemq potuerunt impia tanta,
Et mens ulla scelus ualuit confingere tantum?
Quos duræ heu tygres, sæuæ genuere leænæ,
Quos struthio eduxit pastumq; dedere dracones,

De morte christi.

Quos aluit gryphes, pontiq; ferocia monstra
A teneris sotij saeui tibi nate fuere.
Nondum natus eras famae & dispendia tanta
Fecere, & puero mortem conferre tenello,
Armato furijs studuerunt milite tantis,
Causaruntq; fuga nili petijsse colonos.
In quo laesisti populum mi nate rebellem
Paruus adhuc plorans & pendens ubere matris?
An quia de aegypti dura fornace redemptos
Rex ubi niliaco submergi flumine iussit
Impius heu sexus melioris pignora quaeq;
Has ad promissas diuiso surgite terras
Duxisti? immenso tot uictis regibus orbis?
In quo laesisti populum mi nate rebellem
Quod de te tantas uoluerunt sumere poenas?
Tu placido uultu defessos conuenientes
Fouisti excipiens, documentaq; sancta dedisti.
Sanasti infirmos collectos undiq; tantos,
Defunctosq; tua reuocasti uoce sepulchris,
In quo laesisti populum mi nate rebellem,

Quod de te tantas uoluerunt sumere pœnas?
Nonne fame affectos saturans in montibus altis
Explesti dulci populos sermone ciboq;?
Ast ipsi lasso tribuerunt pondera ligni,
In quo nate tuæ finirent tempora uitæ,
Et sitienti porrexerunt pocula fellis,
Spinarumq; pio capiti posuere coronam.
Ah nitidam faciem/ô/uincentia lumina solem:
O caput excelsum/ô/pulcherrima mēbra manusq;,
Quam male tractando liuor mutauit ab illo,
Cum te nascentem cæli lætantia castra:
Pastoresq; pij & reges coluere orientis.
Et si nate sciā mortē sumpsisse libenter,
Et uoluisse mori certo pro crimine mundi:
Numq̄ tanta tamen labentur uulnera corde,
Viuentemq; aliquid poterit me reddere lætam,
Id circo tecum me ducas nate precantem,
Inter nec sæuos inimicos desere solam,
Hæc ait & fronti confingens oscula nati
Redditur exanimis summo superata dolore,

De morte christi.

Cumq; nurus primum potuissent uellere ab ipso
Semiuecem, christi conuoluit corpus ioseph,
Et circum uarios nichodemus fudit odores.
Attamen ille caput timuit tractare uerendum,
Sed componendum genitrici sponte reliquit,
Cumq; pedes uellent extremo claudere filo
Missa soror marthæ faciem percussa nitentem
Clamauit retinens, nunquam diuellar ab eius
Tam pedibus sctis, miseros dum spiritus artus
Rexerit hos, duræq; traham dispendia uitæ,
Hic etenim cæli cognoui lumen aperte.
Atq; iugum posui uarium & miserabile ditis.
O plantas habiles summum pietatis ad omne
Semper opus, pelagusq; quibus calcabile siccis
Se dedit, & turbæ nimium timuere inimicæ.
Hæc ait & lachrymis soluebat carne cruorem
Concretum, sanctoq; suo siccabat amictu,
Et pia figebat diuinis oscula plantis.
Luminibus uero suscepto lumine & ore
Voce parens crebro repetens mi nate petiuit

Pignora, percupiens pectus satiare querelis,
Et caput in gremio statuit uenerabile plorans.
Olli submissa fatur sic uoce ioannes.
Sol ruit, o mater montesq; umbrantur opaci,
Nec superat tempus festo ueniente supremo,
Ergo da corpus tolli reddiq; sepulchro,
Nam secus aduersi quicq̃ paterentur amici
Hi nostri: multumq; mali pro munere ferrent.
Tandem uirgo gemens oculos ad sydera sacros
Sustulit, & natum benedixit: tersit & ora
Ingeminans planctum & configens oscula sæpe
Contexit uelo faciem, pannoq; secundo,
Et sic ad sanctum deportauere sepulchrum,
Excisum quod erat non longe in marmore nuper
In quo nulla quidem fuerant iam corpora humata.
Horti florentis medio uarijsq; referti
Arboribus cultiq; nimis spirantibus herbis,
Felices horti citro lauroq; uirenti,
Felicesq; rosis, uiolis & gramine odoro
Omnigeno, lætos faciunt quos balsama ualde.

Sed magis hi tumuli decorant redduntq; beatos.
Non abraham qñ capitis:non corpora regum,
Non mosem dauidq pium,reliquosq; uidentes,
Ast illum de quo cuncti cecinere prophetæ,
Et reges multi nimium uidisse tulerunt.
Ad te deposito faustu phalerisq; superbis
Reginæ aduenient trepidæ,regesq; quiritum,
Et fabricis istæc decorabunt busta superbss,
Templaq; de pario component marmore mira.
O montem superis iunctum & fulgentibus astris,
Gloria q̃ magnum te reddidit ista sepulchri,
Tu cælum portas humeris non fertur olympi,
Et tibi carmelus sese submittit & altus
Syna thaborq; simul,curuato uertice adorant.
Ecce pyrenei, roseus quos uesper inaurat
Montes festini properant honorare sepulchrum
In te fundatum,properat quoq; duria flumen
Et bethys pulchræ folijs redimitus oliuæ
Iordanis cupidi se se mersare fluentis.
Dignior his aũt cunctis præcedit iberus,

Dumq; citus tranat pontum balearibus auctus,
Aduolat italiam, properantes aspicit alpes,
Quas sequitur rhodanus fluuiorũ magnus ararq;,
Et fidi secum certant properare britanni.
Quiq; colunt istrum, uenit & germana iuuentus,
Cumq; patre apennino conuenere peloro
Vltima pars, illi quondam dum iuncta maneret:
Nunc diuisa sedet sicula regione suprema:
Sic montem potuit terræ disrumpere motus.
Post siculos fluctus & regna relicta sicana
Ecce uolant pelago sumptisq; triremibus urbe
Illustri ueneta: sotij iunguntur achiuis,
Et latus epiri prendunt, cretamq;, rhodumq;,
Prætereuntq; ithacam, regnum pheacis ulißis,
Atq; legunt aspersa mari acroceraunia uelis
Lætantes, reboantq; poli clangore tubarum.
Nec minus adueniunt collectis undiq; turbis
Littoreos quicumq; colunt montanaq; tractus;
Cum quibus innumeræ paßim tua limina gentes
Visent, & tandem totus uenerabitur orbis.

Huc ubi deuentum senior monumenta recludit,
Cum sotysq; locat christi uenerabile corpus,
Cumq; ingens saxum pariter deponere uellent
Os super, & tandem felix operire sepulchrum,
Exululat gemitu mater mæstißima summo,
Cum reliquisq; poli, compleuit concaua plantu,
Obsistensq; manu, cælum sic ore precata est.
Omnipotens genitor, bonitas quem sola coegit
Effecisse polos, homines elementaq; uasta,
Cuiq; homini proprio collapso crimine in orcum
Mens fuit auxilium præstare, & reddere saluum.
Non auri pretio, gemmis nec sanguine tauri,
Sed nati nostro misero de corpore sumpto,
Iamq; opus exegit, uicit certamina dura,
Ergo da corpus nunquam putrescere sanctum,
Da palmas herebi uicti, da ferre triumphos,
Daq; resurgentem uideam, da cuncta subesse
Regna pater, summiq; poli da sceptra thronumq;.
His senior posuit dictis ingentia saxa,
Inuitatq; suis mariam succedere tectis,

Q uando quidem medium se sol demerserat undis.
At gelidis mater configens oscula saxis,
Iamq; uale dixit, ualeas per sæcula nate.
Tractaq; perrexit solymos per compita uersus.
Hæc remanens busto fixit sed scripta ioannes.
Busta redemptoris mundi pariterq; tonantis
In terris minimi, sed summi culmine cæli.
Dumq; iter accelerant solymorum uespere facto;
Vexillum crucis aspexit mæstissima mater,
Hocq; cadit spectans & tali uoce salutat.
Vnica spes hominum crux o fidissima salue,
Per quam bella pij superabunt horrida reges.
Extremaq; die cælis fulgebis in altis.
Per me mortalis dominus descendit in orbem;
Per te aũt passus clausum reserabit olympum.
O uia regalis per te quoq; fortia castra
Ipsius, astra petent superato rite tyranno
Candentesq; uiri expugnabunt tartara uastis
Te duce desertis, petulanti carne subacta.
At mihi sat fuerit fragili succurrere plebi,

Supplicibusq; meis cæli impetrare fauorem.
Hospitis his dictis plorando tecta leprosi
Cum reliquis petijt tempus fletura per omne.
Ast ego contremui crudeli funere uiso,
Et capreas petij sordes tersurus eremo.

Deo gratias Finis.

Epigramma.
Simonis rhegini ad authorem

EN tandem aonijs rediens e collibus altis,
Temporibus sacris laurea serta geris.
En iterū magno reuocat clamore citherō,
Te lauri & thiasi, te tua musa uocat
Hic (ait illa) canat diuos sanctumq; senatum,
Qui cecinit laudes maxime christe tuas,
Annuit omnipotens & cæli castra serena
Ingeminant plausum lætitiamq; probant.
Vincenti (mihi crede) dabis, si carmina centum;
Millia præconum rex sacer ipse dabit.

Eiusdem Elegia in lutherum.

Inferni lutifer qui fœdas luthere cœno.
Præsertim gentes hæresiarcha tuas.
Vnde tibi infelix hæc tanta superbia repsit
Vt libeat cana te remouere fide?
Lucifero similis dixisti supra aquilonem
Extollam sedem dogmata dando mea.

Elegia.

Non ego discessi fidei de lumine dicis,
Sed fabrico fidei mœnia rupta prius.
Fundamenta quatis fidei primaria aperte,
Dum christi tentas extenuare duces.
Fundamenta quoque excindis primaria certe,
Dum fidei sedem tollere ab urbe paras.
Nam quicunque cupit fortem superare tyrannum
Illius euertit fortia castra prius,
Indeq; christus ait, uos qui aspernatur & odit,
Discipuli, spernit me soliumq; meum,
Quod romæ posuit translatum gente rebelli
Et dixit firmum sit sine fine loco hoc.
Hoc simul aetnei fratres superare gigantes
Tentarunt, uerum uicti abiere retro,
Horum tu similis paribus munitus & armis
Sperasti cœlo trudere posse iouem,
Sed quia sunt uacua & cunctis explosa theatris
Arma quibus pugnas, tu quoq; morte cades.
Inferni cœno qui fœdas luthere mundum
Præsertim gentes impietate tuas:

Elegia.

Dum pia uota negas homines emittere posse,
Arbitrium mentis tollis & imperium.
Nam deus omnipotens primum cum plebe parentē
Condidit, & rerum constituit dominum,
Omnipotens hominem produxit quippe potentem:
Aeternum æternus contulit atq; animum:
Liber eidem etiam concesßit uelle suoq;
Vt posßit uoto liberiore frui.
Hinc mandata dedit fructum ne tangeret adam,
Illius at iusßis paruit ille minus,
Hincq; uoluntatem populo quæsiuit ab omni,
Cum uellet legis coelica iusßa dare.
Mors alibi dixit manibus semperq; moratur
Vita tuis Homini, delige quod cupias
Nam si cuncta deus faciat nec uelle resisßunt
Vlla suo terris nec rutilante polo,
Non tamen arbitrium uiolenter tollit & infert,
Vt posßint homines præmia ferre sua:
Sydera quandoquidem fulgentia mobile primum
Torqueat ad cursum & si retrahendo suum,

Non tamen obsistit proprios percurrere cursus,
Ordine sicq; regit tale creata deus,
Insuper humanis aı̃s si arbitria tollas,
Humanos aı̃os asseris ergo boues,
Cum canis existas colubrisq; seuerior ipsis,
Et iactas fabrico mœnia rupta prius.
Hinc tibi discordes doctores tollis & omne
Concilium fidei perfide iusq; pium.
Crudelis semper nunq̃ pietatis amator,
Defunctos prohibes nos releuare quoq;,
Qui super ædificat christi fundamina paulus,
Aes stipulasq; leues ignis aduret ait,
Non scelus in sanctum laxatur neuma redemptor
Commissum dixit nostra lucerna nitens,
Nec comite hac uita nec tandem tempore functis
Quædam fas functis ergo leuare licet.
Sub terris aquila audiuit cantare tonanti,
Cantica cum iubilo lætitiamq; uolans
Explodis maculas & ieiunare fateri.
Vt posis scortis luxuriare tuis,

Nam ieiunauit christus suprema potestas
Pro maculis nostris, tu scelerate negas
Pro proprijs uermis crebro, qui sæpe labascis;
Et pro frænandis quæq; libido mouet.
Dona fatebantur culpas sub lege priori
Tu uerbis etiam uis latitare noua?
Si non uis hōi infelix peccata fateri,
Quo pacto poteris crimina ferre deo?
Sicut enim minime peramas sub sole tonantem
Ni prius in fratrem rite feratur amor,
Cordeq; si credas tantum, nec ore fateris;
Nulla redemptoris spes pretiosa datur,
Sic pctā minus soluuntur corde retenta,
Si poteris fratri nec aperire studes,
Quidq; uices christi petrus reliquiq; gerentes
Stringent uel soluent ni sibi nota prius?
Si tua larga fides hominum sumpsisse figuram
Asserit, & mortem sustinuisse cruce
Verbum, cur probibes christumq; crucēq; colendā
Pestis imaginibus non uariando fidem?

Cur ex

Elegia.

Cur ex aduerso fœdas mund:ssima cœno,
Et iactas fabrico mœnia rupta prius?
O utinam ruptos studuisses iungere muros,
Tersissesq; pia lubrica ab urbe manu.
Nam quos deturbas collectos undiq; in orcum,
Cœlorum regi munera sancta forent.
Sed ueniet tempus cum cæsar carolus astri
Quintus te perdet consimilesq; tui:
Pro meritis aũt totius climata mundi
Conferet, & tandem regna superna deus.

Ad deiperam de loreto.

Testa sacerdotes, templum, regale tribunal,
Transferre, & solima ducere ab urbe paro
Dixit in italiam romamq; capescere christus.
Regnabitq; fides hic sine fine mea.

Ad deiparam de loreto.

Olli subtristis solimis me nate relinques
Mater ait solam? te sequar inde quoque:
Et quia nil maius cælum scandendo reliqui
Effigie & cella qua lonus inquit aue
Angelus, & nostro sumpsisti sanguine carnem,
Adriaco hanc statuas littore nate mihi,
Romano sub iure tuo templumq; dicetur
Quo tibi non distans semper in orbe colar.
Quisquis amat solimos igitur petijsse trireme
Huc ueniens solimos se petijsse putet:
Nam uere hæc solimi sunt felicissima cella,
Qua uerbum maria uirgine facta caro est

Finis.

Si te delectat christi cunabula nosse
Acti sinceri carmina culta lege.
Si uero eiusdem christi tormenta crucemq;
Hoc tibi manerij carmina docta dabunt.

Neapoli per Ioannem Sulitzbachium Anno
a Natiuitate domini Millesimo quin
gentesimo quadragesimo uigesi
mo secundo octobris.


MATHEVS